



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

12 Media ad co[m]parandam humilitate[m] cordis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

bet ad naturæ rationem operantur, etiã minima formicæ, ad quas nos Sapiēs remittit. *In- Prou. 6.*  
dignum est ergo, vt solus homo ocio torpeat.

5. Videte quantus labor sustineatur passim ab omnibus, ad consequendos honores, opes, aliasq. istius mundi vanitates perituras; quãtaq. nos ipsi fecerimus, aut faciamus ad animarum nostrarum damnationem. Si ergo vera fides est in nobis, qua certissimè credimus, non esse condignas passiones huius temporis *Rom. 8.*  
ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis: & hoc leue ac montaneum, operari in nobis *1. Cor. 4.*  
æternum gloriæ pondus: tantamq. pro exiguo labore reddi gloriã, vt eã neq. oculus vide- *1. Cor. 2.*  
rit, neque auris audiuerit, neq. in cor hominis ascenderit: meritò omnis torpor est excutien-  
dus, & manus operi est admouenda, maximè cum exigua sint, quæ à nobis Dominus postulat, nempe vt sicut exhibuimus mēbra ser- *Rom. 6.*  
uire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatē: ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem.

CAPVT XII.

MEDIA AD COMPARAN-  
dam humilitatem cordis.

**V**ERA humilitas nō in externis actio-  
nibus, sed in corde inuenitur, de qua  
Christus: *Discite à me quia mitis sum, & Mat. 11.*  
*humilis corde.* per quam homo vilis est abiectus-  
que semper in oculis suis, & talis haberi ab  
omnibus desiderat; & si habeatur, gaudet. Ve-  
rus

K 5 rus



Ser. 16. in  
Cant.

rus humilis (ait Bernardus) vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet de contemptu sui; hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit. Ad eam assequendam hæc pauca iuuabunt.

*Primo*, De se suisq. factis non miscere sermones, vel in laudē vel in vituperium, iuxta Poëtæ cuiusdam dictum:

*Nec te collaudes, nec te contempseris ipse:*

*Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*

Qui enim se commendat, aperte laudē querit; qui autem se cōtemnit, occulte eandē quarit; dum, nempe, cupit sua facta ab aliis excusari.

*Secundo*, Frequenter sibi imperfectiones & peccata sua ob oculos ponere. Quia tā multa sunt vitia cuiusque, vt laudis omnē occasionē tollant. Hoc autem tunc maximè faciendum videtur, quando gloriolæ præbetur materia.

*Tertio*, In rebus abiectioribus libenter occupari, & cum humilioribus frequentè versari. Sicut enim humilitas est causa actionum humilium: ita ex humilitas officiis oritur, atque eisdem conseruatur.

*Quarto*, Superiores omnes suos, tanquam Christi vicarios, ex animo magni facere; internam eis externamq. reuerentiā exhibere; eorum nomē, autoritatē, & facta apud alios, quantum fieri potest, tueri. Quia manifestū est superbiæ argumentum, superiores vel reprehendere, vel iudicare, vel parui facere.

*Quinto*, Sæpius in sanctorum cum Christo regnantium vitā moresq. intueri; nostraq. facta



Et cum illis conferre. Tali enim comparatione intelligemus, nihil esse quicquid hactenus egimus. Iunabit etiam inspicere perfectionem hominum multorum adhuc viuentium, atque ex eorum vita considerare, quam multa nobis desint.

CAPVT XIII.

MEDIA AD PATIENTIAM.

**P**ATIENTIA est virtus, qua iuxta rationis dictamen, moderatè toleramus aduersa. Ad quam hæc puncta erunt vtilia.

*Primò*, Considerare, nos longè grauiora mala diuersis multorum annorum peccatis commiseruisse; quæ si non in isto mundo, his similibusque afflictionibus; certè in futuro seculo, purgatorij ignibus excoquenda erunt.

*Secundo*, Conferre tribulationes molestiasque nostras cum his quas multi alij, fortasse etiam meliores nobis tolerant. *Scientes* (inquit Apostolus) *eandem passionem ei, que in mundo est, vestre fraternitati fieri.*

*Tertio*, Respicere lucrū, quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius, in summis laboribus, consolatur se expectatione mercedis: ita Christianus omnibus molestiis & afflictionibus, gaudere debet spe retributionis. Quia vir bonus, qui filius est Dei, non gratis affligitur: sed sicut filius Dei, dignior est filio Regis: ita maior erit merces laboris atque molestiarum filij Dei in cælo, quam filij Regis in hoc mundo. Nam iuxta personarum dignitatem

gauram